QVÆSTIO MEDICA,
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. DECEMBRIS,
M. ROBERTO DEBONNAIRE Doctore Medico, Præside.

859.

Est-ne Geminorum primò genitus, qui prior in lucem editur?



EMINORVM fœtura, validæ quidem facultatis, nihil tamen quicquam præter humanam conditionem molientis opus est: in hunc enim finem, muliebre pectus duabus mammis, velut raris montibus molliter tumuit, ad quas lactis totidem fontes, & riui deducerentur, nationésque quarum æquabilis, & vtcunque temperata est regio, hancce partus vbertatem illis frequentiùs experiuntur; apud quas naturale hoc hominis bonum degenerauit vitio deprauati aëris; vnde si quando apud eas, in vnica grauiditate duplices fœtus mulieres procreent, singularem, & eximiam esse puta præcellentis fœcunditatis notam, atque idcirco ad id multò habiliores, aptiorésque esse, paruas grandioribus; tenues quibus scilicet venæ patent, crassis; nigras liuentibus, quæ cum vtero ritè perpurgato, paulò sicciore, eóque nec contorto, nec hiante, nec intercluso, sed leniter mollito, atque oblimato, mirâ flagrant commiscendorum corporum libidine.



ENERANTVR autem gemini, non quia vterum sinus duo diuidunt, cùm in eorum alterutro, eiusdem sexus si fuerint, conformentur; nec quia non vulgaris est concepti seminis efficientia; illa enim tantùm heroum opifex esse potest, neque etiam ex eo quòd illud iusto copiosius parentes effudere: homo quippe inter cæteras animantes, omnium abundè serendi materiâ diues, semper multiplicis partus procreator foret: itaque gignuntur quando vterus in singulari complexu venereo, post allectum comprehensúmque sufficiens semen, nouâ cupiditate exardescens, denuò aliud arripit, & penitùs recondit in sese: etenim quemadmodum repentinâ liquoris alicuius aspersione, maior crepitánsque ignis flamma statim subuolat: similiter prolis auidum illud animal, cùm præsertim iucunditatis acerrimus fuerit illius sensus, ad vehementer expetiti succi appulsum, iterum efferuescit, totúsque modico humore diffluit, sicut ad gratæ, & splendidioris rei aspectum lachrymæ profunduntur: neque ex eo prægrande aliquod animal enascetur, nam non minùs circumscripta est in viuentibus principiorum moles, quàm eorumdem naturalis magnitudo; cùm enim illa finguntur, natura quale æquè ac quantum facit.



IR temperamento aliquantulùm frigidior, quísque fœcundum semen tardiùs iacit, is si cum alacriori muliere concumbat, ex tali coniunctione, gemini maximè expectandi sunt, hâc enim ratione fiet eodem tempore ad illud summopere desiderata, opportuna concursio seminum, quæ quidem vt in primis emissionibus crassiora sunt, atque majori cum voluptate, & grandinis in modum quàm longissimè vibrantur, ita spiritibus turgent magis, quibus ociùs infantis adumbratio compleatur: proinde ex vltimis eorum partibus qui funditur fœtus, erit sine dubio imbecillior, & plerumque fœmina, quæ quia minimùm habet firmamenti, ac virium, nec eosdem cum mare absolutæ conformationis terminos, ideò cum eo vitalis vix prodit, tametsi planè eius similitudinem gerat, speciémque, quòd inter se loci, & nutrimenti communitatem habuerint, paritérque affecti sint matris perturbationibus, dum eius aluo continerentur.



ESTES porrò, & eorum vasa, postquam priuatæ egestati diligenter consuluere, alimenti reliquias in vesiculis, & prostatis ad futuros vsus seruant, atque si animalis non sit effrænata libido, debito sibi commeatu contenti, à vicinis partibus prorsus exigunt nihil, enimuerò verisimile est à qualibet corporis particula, non solùm non decidere molem, sed ne spiritus quidem seminis, eiúsque formæ, testiculorum vi excitatæ, sociam, ac comitem adiungi speciem quamdam, seu omnium generantis membrorum expressam imaginem, à qua extraneis non interpellatâ, prolis cum parentibus, omnis in effigie similitudo imprimatur: prima ergo ejecti seminis portio, vt pote elaboratior, cessit faciliùs eam seponenti, & depellenti testiculo in arculas ad id accommodatas, cúmque diutiùs in illis asseruata fuerit, consectarium est, vt qui ex ea fit fœtus, primùm hepatis sui benignitatem, & cordis, neutiquam otiosi, perennes, & salutiferos impulsus, in vtero materno perceperit: quamuis enim omnes partes simul inchoentur, perficiuntur tamen pro viuentium commoditate, & in quibusdam certè impendiò promptiùs, vbi eorum effectrix causa validissimo calore perfusam materiem nanciscitur.



NTER formanda corporum lineamenta, vis illa nostri procreatrix imitatur fictores quosdam, qui ex flexibili humidáque materia homines figurant; illi siquidem nisi satis supérque secundùm artis leges eam concreuisse obseruarint, opus suum haudquaquam aggrediuntur: quare dum gemini effinguntur, quia eorum posterior primordia sortitus est humidiora, & tenuiora, tardiùs profectò animatur, absoluitúrque quàm primùm genitus, cuius initia quoniam genitore spiritu turgidiora fuerunt, idcirco celeriusculè in perfectum animal euasere: propterea necesse est vt idem iste primus indigeat amplioris alimenti, & refrigerii, calcitrétque prior, motúque suo vterum videatur monere de tempestiua sua maturitate atque excutiendo pondere iam ipsi graui, vt mutuo tum fœtus, tum fœtæ conatu, partus fortunatior succedat.

Est ergo Geminorum primò genitus, qui in lucem prior editur.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS LE BRETON Parisiensis. A. R. S. H. M. DC. XXXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Germanus Preaux.	*M. Mathurinus Alton.*	*M. Ludouicus Robillard.*
M. Ludouicus Renouart.	*M. Franciscus Blondel.*	*M. Franciscus Boujonier.*
M. Petrus le Comte.	*M. Lancelotus de Frades.*	*M. Ioannes Berault.*



Physi